



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

24. Novembris. Magis timendus est Religioso timor paupertatis, quàm ipsa paupertas. S. Ignat. apud Bartol. l. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Ille securiùs reget alios, qui seipsum re-
gere formidaverit; sicut, qui sibi, pruden-
tiæque suæ fedit nimiùm, nec sibi, nec aliis
regendis idoneus est. Ipsa æterni Patris Sa-
pientia sibi manu ductorem elegit in terris.

Non est gravior error, quàm credere, se
errare non posse; se decipit, qui autumat
se decipi non posse. Morosi suarum cogi-
tationum defensores, quidquid ex eorum
capite profilit, Palladem esse credunt, cum
sæpe sit tantùm bubo.

Certus ejusmodi præsumptionis effec-
tus ruina, quam Deus permittit, ut, qui
aliter nolimus, nostro malo nimiam no-
stri fiduciam dediscamus. Felix! qui didi-
cit alieno.

24. Novembris.

*Magis timendus est Religioso timor pauper-
tatis, quàm ipsa paupertas. S. Ignat.
apud Bartol. l. 4.*

PAupere pauperior est, qui non vult esse
pauper; si enim pauperi defunt multa,
nolenti paupertatem, defunt omnia. Si
tibi gravis est, quæ nihil habet sarcina, pus-
tæne levior erit, si te pluribus oneres?

De

De promissis Veritatis nemo dubitet : Centuplum accipietis. Vide, quàm vanus sit timor ; time , ne timeas rerum defectum ; plura sunt, quæ nos terrent, quàm quæ premunt . Parvulos umbra terret , cum nihil mali sit.

Opinione sæpius, quàm re, laboramus ; ibi passim trepidamus, ubi non est timor ; paucioribus egemus, quàm concupiscamus ; horrea paramus erigere, quibus longæ vitæ subsidia recondantur, hodiè fortè morituri.

Nimia pro futuris sollicitudo filia est pusillanimitatis ; erectus in Deum animus plùs de ejus bonitate supponit , quàm ut suos necessariis destitutus credatur. Divitem habemus patrem, modò simus filii.

25. Novembris.

Quò interiore viros spirituales ad consuetudinem, ac familiaritatem admiseris, eò majorem capies in Domino voluptatem. S. Ignat. apud Orland, l. 15. n. 110.

UT aromata nunquam tractantur manibus, quin amænum sui odorem in præmium relinquunt ; ut nunquam igni accedimus propiùs, quin calorem, etiam in-